

GEORGIVS A HEGNENBERG EQVES.



Georgius ille in Bauaria ex honesta, antiqua,
& illustri familia natus fuit. Is à teneris annis
armorum exercititia secutus, tandem suis uirtutibus
magnum nomen comparauit. Nam cum Carolus
Imperator Tunetum proficisceretur, ipse ei expe-
ditioni anno 1536 interfuit, atq; multa suæ fortitudi-
nis documēta edidit. Id cum Carolus intellexisset,
eum equitem auratum constituit, & militaribus or-
namentis decorauit. Parí dexteritate Georgius in
reliquis bellis, quæ Carolus apud exterros & in
Germania gessit, interfuit, ordines duxit, & Impe-
ratori strenuā operam nauauit. Itaq; Bauariæ dux
eum plurimūm dilexit, atq; in suo oppido Ingol-
stadio, quod ad Danubium multis propugnaculis munierat, præfectum or-
dinavit, non tam ob militaris disciplinæ, quam munitionum & architecturæ
insignem peritiam. In eo loco Georgius etiamnum præsidet, atque
res sibi commissas fideliter administrat, ita ut passim apud
finitimos in magna existimatione existat. A-
nonim.